



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi

Spinola, Fabio Ambrogio

Antverpiæ, 1630

Cap. IV. Missio Cremonensis, & in Lusitaniam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

ſpectare quæ alijs tolerarunt, eorumq; nos flammâ accendere ac parare. Ecquando eris illud tempus! ô dies! ô hora! ô momentum! ô Pater Pompili, quanta ſuauitas, vel cogitare ſecum pœnas mortis pro Chriſto tolerata! Ecquid ergo erit ipſum mori? Sic verò epistolæ clauſulam abſoluit: *Iam Reuerentia veſtra hoc tam inſigne munus meum remuneretur, viſendo ſemel ad ſacraſſimum Chriſti clauum; eumq; deprecari, vt illo mihi cor conſigat, affixumq; pedibus ſuis retineat in cruce.* Per hanc occaſionem, eos venerari cœpit, qui ſanguinem Chriſto impenderant in Societate; priuſq; eorum nomina, catalogo in morem Litaniæ collecta, priuatim recitare, quàm publicè vulgarentur adeò, vt ſanctis eorum veſtigijs inſiſteret, memoriam quoque oculis animoq; volebat eſſe impreſſam.

CAPVT IV.

Miſſio Cremonenſis, & in Luſitaniam.

ANNVS agebatur 1594. decimus ab ingreſſu Caroli in Religionem, vltimufq; ſtudiorum; cum, pro more Societatis, ſacris Ordinibus Sacerdotioq; eſt initiatus. Noua hæc dignitas nouum ei affluit ardorem. Quoniam verò vnum de præcipuis facri huius ſtatus muneribus eſt, precum diui-

B 2 narum

narum recitatio ; vt huic debito suo maiore cum reuerentiâ persoluendo operam daret, cogeretque seipsum in locum aliquem ab omni strepitu abductum , statuit non nisi de genibus eas preces recitare : quo more nihil tenuit pertinacius, etiam inter Iaponicæ missionis defatigationes. Præterea, vt purior quotidie ad aram facturis accederet, ne adferam incitamenta varia, quibus ille in animo suo viua quædam accendebat iungendi se cum DEO desideria, sæpius per hebdomadam pœnitentiæ sacris mentem expiare consueuerat : idque tanto (quod caput est) faciebat sensu, tot lacrymis, tot gemitibus singulibusque, vt, quod viuis etiamnum testis affirmat, è propinquis cubiculis audiretur. Carolus igitur, appetente studiorum Theologorum fine, ratus idoneum id esse tempus, antiquo suo in Indias proficiscendi desiderio exequendo, scriptis litteris intermissam contentionem denuò cœpit adhibere. Sed nullâ tunc quidem aliâ constitutâ re, Carolus à Superioribus (vtpote missionum amans) Cremonam missus est, vbi plurimum Sociorum per id tempus opera expetebatur. Huc vnâ cum comite Sacerdote appulsus, statim, vt erat apprimè feruens, ad omne se hominum genus adiuuandum effudit. Ac primò, cōciones festis diebus in templum cogere ; deinde
in

in plateis (infolito id temporis concionandi modo) ad obuios quosque, qui rariùs in templa conueniunt, ex altiore loco dicere, ne eo faltem diuinæ sementis fructu priuarentur. Collapsum etiam tantò maiore damno Catecheseos vsus, quantò is utilior magisque necessarius est saluti; erexit ipse, non solùm è templo in templum die vno ambulando sapiùs, docendoque iuuentutem, sed etiam Sodalitium, tam sancto operi promouendo perpetuandoque excogitatum, stabiliiuit. Ne verò puellæ huius essent expertes institutionis, nobilium aliquot feminarum industriam exacuit, vt earum exemplo auctoritateque res nixa caperet progressum. Quod initio (cùm indecorum nobilitati suæ mulieres ducerent) non sine molestiâ est impetratum. Nec prætermittebat cœnobiorum, quæ Episcopis parent, perfectionem adhortationibus confessionibusque procurandis adiuuare; cui operæ non contemnendus respondit fructus. Vnum certè sacrarum Virginum gynæceum fuit, in quo, communis vitæ memorabili corruptelâ, proprijs quæque utebatur bonis: donec commotæ percussaque adhortationibus, quas de perfectioris vitæ debito regularumque obseruatione P. Carolus frequentissimas habuerat, priuata commoda in commune contulere. Quod vt constan-



tius tenerent in posterum ; habitis plus semel
 super eâ re consultationibus, pœnâ deinceps in
 peccaturas animaduertendû censuerunt: quod
 præsentè Antistitis Vicario deinde perpetuum
 fore decreuerunt. Neque eo contentæ, litteris
 prætereâ petiêre ab Illustrissimo Cæsare Spe-
 tiano, Antistite Cremonensi, per id tempus
 Nuntio ad Imperatorem Legato, vt decre-
 tum suâ quoque auctoritate sanciret. Lætus
 tam prospero successu Præsul, postquam, de-
 creto approbato, intellexit id P. Caroli Socio-
 rumque fuisse procuratione conceptum; non
 litteris modò affectus gratulationisq̄ue ple-
 nissimis (vt erat in Societatem prolixus) sed
 Collegij insuper Cremonensis fundatione
 cœptâ, voluntatem testatus est: neque prius
 desijt, quàm reliquum, quod deerat annui
 vectigalis, magno ære suo expleret; Collegio
 demum herede ex assè instituto, vnde & fun-
 datoris est titulo decoratus. Dum ergo Cre-
 monæ Carolus operam iuuandæ proximo-
 rum saluti locat, allati sunt expectatissimi illi
 nuntij profectionis in Indias concessæ: quam
 vt primo quoque tempore adornaret, Me-
 diolanum citissimè reuersus, valere iussis con-
 sanguineis notisq̄ue (quos non minore sui
 opinione, quàm sanctâ quadam inuidiâ com-
 pleuit) Genuam tempestati expectandæ con-
 tendit. Cognati, intellectâ discessus immi-
 nentis

nentis propinquitate, quantis potuere artibus
 iter auertere, Carolo dissuadere, Maiores, ut
 impedirent, flagitare. Irrita cecidere consilia;
 ac tum quidem amici acquievere: sed mox
 vbi triremis, quâ vehebatur, in ipso portus exi-
 tu ad saxum (vbi diximus) impacta, periculum
 subeundi maris adiit, coactaque est vectores
 in terram exponere donec reficeretur, illi de-
 nuo maiore vi adhibere preces, recensque tri-
 remis discrimen in omen vertere Numinis
 irati, quo velut monitu soluere eum in Iapo-
 nem apertissime prohiberet. Nihil ponderis
 habuere blanda amicorum verba in illius
 animo, qui iam præuisas Oceani tempestates
 cogitatione generosissimâ superarat. Reputa-
 bat nimirum, insignem esse degeneris animi
 segnitiam, primis frangi aduersitatibus. Intel-
 ligebatque, labores diuino obsequio impensos,
 esse certissimi instar arrhabonis felicium suc-
 cessuum, illi qui Deo niteretur. Instauratâ
 igitur triremi, lætus Geneuensi portu in Hi-
 spaniam soluit: quò post ingentem Mediter-
 ranei maris procellam appulsus, exscendit
 Barcinone, indeque in Lusitaniam pedestri
 itinere Vlissiponem festinauit, ne temporibus
 nauigationis Indicæ excluderetur. E sen-
 tentiâ Carolo hucusque iuere res, ut vela qui-
 dem in Iaponem facere eo anno posset, non
 tamen assequeretur optatissimum exitum

nauigationis ; quia biennio ferè toto iactatus,
 tot maria peregrinasq; gentes , aduersis iacta-
 tus tempestatibus, adire coactus est: post quas
 remetiendum denuò in Lusitaniam fuit iter.
 Vt verò tam longi difficilisq; cursus discrimi-
 na clariùs intelligantur, operæ pretium fa-
 cturum duxi, si ipfas eius litteras in capita, quò
 faciliùs legantur , diuisas huic narrationi in-
 texerem: quibus, dum nauigationis suæ ratio-
 nes laboresq; aperit Claudio Aquauiuæ , id
 temporis Præposito Generali , simul quanta
 & ipse passus sit, quantaq; exhaurienda sint
 ijs incommoda , qui ex Societate huiusmodi
 pro Christi amore perfectiones amplectun-
 tur, ob oculos ponit. Sic igitur loquitur : *Iam
 menses multi sunt, cum Admodum R. P. V. scri-
 psi è Brasiliâ primùm, deinde è Portorico, ex
 Angliâ denique ; ad quas omnes terras, DEI
 permissu, latus sum, experiundo fortè tirocinio
 itineris mei Iaponensis, & martyri, quod ibi,
 spero, me expectat. Iam Vlisipone scribo, quò
 perueni 8. Ianuarij vnà cum comite meo P. Hie-
 ronymo de Angelis. (Sacerdos hic natione Si-
 culus, incendio quoque lento ob fidem in Ia-
 poniâ occisus est, anno 1624.) Quoniam au-
 tem dubito, an epistola mea perlata sint ; existi-
 moq; , ob insignem suam charitatem cupere in-
 telligere successum laboriosissima longissimaq;
 nauigationis nostræ, accuratè referam qua
 ene-*

euenere; ut Paternitas sua, expendendo longas filiorum suorum peregrinationes, eorum miseratione tangatur, DEOq; cum eis gratuletur, tot benignè elargitis fauoribus, gratiamq; eis impetret maiora etiam pro Christo tolerandi.

CAPVT V.

Profectio è Lusitaniâ in Brasiliam.

OCTO Societatis homines conscendimus; è quibus Itali quinque vnâ fuimus in nauis; quæ omnium opinione habebatur de optimis; eratque nauis Francisco nomen. Hanc ut primum conspexit bonus Pater Iacobus de Vicariis, augurari cœpit, è multis quæ inerant crucibus, non defore materiam patiendi. 10. Aprilis anni 1596. comitati quaternis nauibus magnis alijsq; minoribus letitiâ exultantes discessimus; quod nobis videremur iam mundo mori, penitusq; à patriâ atque ab amicis omnibus & notis corpore etiam abire. Intra paucos dies, prospero vsi vento, latus Guineæ tenuimus; extremoque Aprili, noxia dierum aliquot malacia languorem corporibus, labem annonæ, stomachis nauisem attulit. Postridie Calendas Maias, ventus in contrarium versus est; interualloque dierum viginti, in secundum & quartum Boreales gradus, nunc Orientem nunc Occasum versus impulsit, novos quidem ventos captauimus, sed maiore